



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

Quando leiunium sit in præcepto, & qualis obligatio cap. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

demque est ratio de seruis ministraturis Domino tempore prandii. Sine causa autem praeuenire horam prandii, etsi mortale quidam putent, probabilius tamen est, esse veniale. Matutinæ collationes, quæ prandium ad vesperam, & noctis horam differunt, ex causa licent, sine causa, non sine peccato veniali sunt. Extremus modus est, quod hæc ieiunia in gratia & charitate fiant, & ideo salubre est confessionem, quadragesimæ præmittere.

Quando ieiunium sit in præcepto, & qualis obligatio.

Cap. 3.

Multa sunt Ecclesie ieiunia sub præcepto: Quadragesima videlicet, quatuor anni tempora, Vigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Petrecostes, Assumptionis B. Mariæ

Virg. Omnium Sanctorum, Beatorum omnium Apostolorum. S. Ioannis Euangelistæ, & Philippi ac Jacobi prima die Maii exceptis, S. Ioan. Baptistæ, S. Laurentii martyris & aliæ vigiliæ speciales iuxta locorum consuetudinem. Præceptum abstinendi à carnibus cōprehendit etiam pueros ante pubertatis annos, & multo magis adolescentes ante vigesimum primum annum, quo etiam tempore tenentur abstinere à lacticiniis, post annum vero vigesimum primum absolutè ieiunare. Qui semel in die soluit ieiunium, non tenetur eodè die ieiunare, nec nouo peccato grauatur tunc pluries comedendo, nisi ex contemptu illud faciat. Qui verò carnem comedit, peccat toties quoties comedit, quia facit contra præceptum negatiuum.